

Appendix. — *Europa Nro. 48.*

Regnum Mortuorum.

Sermones politici Mortuorum.

Elysium — Meum 31. Maii 1808.

Actas novandis quam gerendis rebus aptior, semper aliquid novi praebet.

Terent.

Umbrae loquentes.

Joannes Michael Georg: — D. Quid Novi.

Georg: Quae mutabilitas, quae instabilitas? Ausim nomen quaerere? ausim nosse, quod officium in mundo?

Quid Novi: Nomen mihi *Quid Novi*; Officium meum in mundo est generalissimum.

Georg: Nunc intelligo, Domine *Quid Novi!* humillimus servus.

Quid Novi: Nomen meum personat in omnibus conventiculis, in omnia plateis, et societatibus. Gero praesidium in omnibus Ephemeridum expeditionibus, et Caffenis; sum in perpetuo motu, circumeo instar aeterni Judaei; modo laetus, modo tristis prospicio, Regnum meum est in universo mundo.

Georg: Gratias pro noticia, Domine *Quid Novi!* Unde venit haec relatio?

Quid Novi: Directe ex Peruvia.

Georg: Ex Peruvia! Bone Deus! quas divitiarum ideas excitat nomen hoc? Quae spes, quod solatium, quae delectatio enascuntur in praecordiis? Quomodo prospicit in haec patria auri et argenti?

Quid Novi: Ultra tria saecula sunt, a quo curiositatem et auri sacram famem Europaeorum Peruvia titillat. Solum nomen jam exprimit omnes divitias mundi. Non aliud opus esse, dicit communis opinio, quam ubi quis vult, aurum et argentum colligere. — Sed tamen non est ita.

Georg: Quomodo ergo? Domine *Quid Novi!*

Quid Novi: Hic, sicut alibi, Dii omnia laboribus vendunt. Aurum et argentum, haec scilicet votorum humanorum universalis Pandora, est hic quoque in abdomine terrae reconditum, et primum efodi debet. Quis labor, quae vitium intentio?

Georg: Appage cum tua fabula! qui hoc intelligis?

Quid Novi: In 8. Districtibus, in quos Peruvia dividitur, sunt 69 fodinae auri, 784 argenti; 4 mercurii; 4 cupri; et 12 plumbi. Ab exordio Anni 1780 usque 1789, id est spatio 10 annorum efossae sunt 35,369 marcae auri, marcam a 22 Carat. Argenti autem 3,739,763 marcae. Marca una auri aestimatur 125 Piastris, et argenti ab 8. Piastris; ergo in Peruvia intra 10 annos effossi sunt 184,800,000 franc. Si porro consideremus, quod fodinae mexicanae adhuc ditiores sint peruvianis, profecto cum stupore simul, et dolore prospicimus in futurum, si consideremus, quantam tanti thesauri cum tempore in societate humana, in Politica, in luxu, in pretio rerum, in commercio, in Legislatione, et in mutuis hominum relationibus producturi sint mutationem. Hic perennis metalli nobilioris affluxus tandem opprimet Europam.

Georg: Ah, ah! Domine Quid Novi!

Quid Novi: Quantae adhuc summae prodirent, si aptiores homines, quam sint Hispani, has fodinas colerent? — Quae consumptio argenti vivi his in fodinis? Ab annis 63 consumpserunt Hispani 234,700 Centenarios, quod ipsi non magno venit, quia in *Huanca-Volica* divitem venam habent.

Georg: Sed quid nunc ex his omnibus Provinciis fiet?

Quid Novi: Angli; perniciosi Angli! utentur occasione eventuum in Hispania, sumentque pro praetextu mutationum etiam in his regionibus. Quis quis facile imaginari poterit, quae sit consternatio in Peruvia, in Mexico, et in Plata. Populi harum regionum non nisi per Portugallos, qui nunc in Brassilia sunt, aut per Anglos, aut forte per Americanos possunt informari de novissimis eventibus in Hispania; Angli conabuntur Proreges, et Gubernatores Hispanorum corrumpere, ut se ab Hispania separent; Regens Portugalliae ostendet eis Principem Hispaniae, qui cum ipso emigravit, nihilque non tentabit, ut eum Regem agnoscant. Forte hunc aut illum Gubernatorem stimulabit ambitio, ut se independentem efficiat. America potest in voraginem infaustae Revolutionis ruere; Anglia enim certe omnia strategemata eloquentiae, armorum, potentiae, corruptionis, et promissionum adhibebit, ut Colonias hispanicas a Matre avellat, et ex divitibus hispanicis provinciis regnum ab Gallia independens fundare possit. Quanta confusio, quamve tristitia huic mundi parti immicent tempora, si planum sit, ut amplissimae hae Coloniae pro Europa conserventur!

Georg: Haec me tristitia afficiunt: Quae nova porro narrantur, Domine Quid Novi?

Quid Novi: In Gallicis pagellis leguntur quaedam relate ad eventus nuperos in Hispania; inter quae est et illud: Quod Friaceps Asturiae et Don Carlos cum frequentissima

comitiva in Castro *Valencey* advenerit; reliqui hospites regiſſe ſucceſſive ad Fontem Bellaqueum appuleint, et quidem Rex et Regina 23. Maii. — Cum in Hispania calor intensus adpropingvet, militia ex caſtris in civitates contrahitur, quem in finem plura aedificia publica adplicantur.

Ex Ephemeridibus anglicanis refert Monitor nonnullos articulos, qui per Sveciam Londinum penetrarunt, quosve Argus pro figmentis declarat; tales sunt: Quod in Russia revolutio exorta, et Imperator Alexander in Siberiam relegatus sit; Quod Aula Ottomannica numeroſo exercitui Gallico transitum per ditiones suas in Persiam concessoſſerit; Quod Angli certam Insulam in freto Gibraltariensi, quam imperator Maroccanus eis cesserat, occupaverint; Denique, Quod Gubernium Hispanicum Deputationem Bajonnam ad Galliarum Imperatorem miserit, quae eum rogaret, ut copias suas ex Hispania revocare vellet — sed haec facta fuisse praetenduntur initio Aprilis. — Ast quantum mutata est ab illa Hispaniae facies! Angli quotidie exspectant belli declarationem per Imperatorem Maroccanum contra Galliam, et Hispaniam.

Pars classis Boloniensis, quam naves hollandicae componebant, successive Viessingam rediit; eodem tempore excurrerunt ex hocce posteriori portu duae naves classicae, et adverso Scaldi fluvio navigarunt, ubi aliquid olfecissis videntur. Advenerunt pariter ad Scaldim aliquot legiones horrossicae, quae nunc in servitiis Galliae sunt, et praeterea etiam aliquot Gallorum cohortes, quarum pars major navibus imponitur. Classis quoque Brivatensis motus facere observatur, qui tentandae excursionis indicia sunt.

Constantinopoli scribitur: Nupernam revolutionem, et mutationem Sultani haud magna produxisse resultata seu in Ministerio, seu in administrationis forma. Idem rerum est cursus; incertitudo major, quam ante, et operationes politicae absque plano, absque energia. Unice constantia, qua novus Sultanus copias ad normam Europeam reducere voluit, disparuit. Omnes innovationes hoc in puncto sunt sublatae, quae tamen unica via est, qua porta Ottomannica potentiam suam elevare posset. — Nunc ubique veterem videas Muselmanneriam. Quis sit rerum status cum Russia, vix est, qui sciat, et quis sit progressus consultationum de pace, quarum causa armistitium prolongatum est. Russi adhuc sunt in Moldavia et Valachia; Serviani constanter in armis; Vezerus novas in dies ex Asia evocat copias, et effectus horum omnium hactenus incertus, aut saltem ignotus est. Commercium navale nunc est utcunq; liberum; Angli ex Archipelago disparuerunt; hinc numerosae naves Alexandria Smirnam advenerunt, quae diversis mercibus, notanter lana oneratae erant.

Bellum ad Aquilonem.

Hafnia Scribitur: Hactenus sumus adhuc semper in bello defensivo contra Sveciam et Angliam, spe certa freti, nos de hostibus nostris palmam reportaturos, aut saltem illos nobis impune non insultaturos; hactenus momentosi quid non evenit. Praetor Anglicus *Saumarez* cum numerosa classe sub finem Aprilis ex Anglia excurrit, et cursum ad orientem direxit, indubie ut belli operationes contra Norvegiam secundet; cum classe hac abiverunt ad 10000 de legionibus germanicis; Copias has exponet classis ad Gothenburgum (Verum jam occuparunt Russi) et dein ipsa mare balticum petet.

Decreto Proregis Italiae die anniversario Coronationis Imperatoris Galliarum in Regem Italiae omnes illi, qui ob non solutam contributionem in custodia tenebantur, libertati restituti sunt, moniti, ut studerent, ne amplius similem in casum veniant. Die hac fuit Sactum solenne et *Tedeum*. A meridie festa popularia in hortis publicis, vespere universalis urbis illuminatio. — Russi per occupationem Insulae Gothlandiae se Dominatores effecerunt in mari Baltico.

Imperator Russorum, accepto de occupatione praesidii *Sveaborg* in Finnia occupatione, singulo militi, qui tempore armistitii, quod deditorem praecessit, in praecipuis stationibus circa praesidium steterant, titulo *grationalis* unam Rubellandari jussit; prout etiam unicuique, qui occasione *Te Deum*, quod propter hanc aquisitionem celebrabatur, servitia obibat, idem assignavit. Inciderunt in manus Russorum in hoc praesidio 4000 Captivi bellici, ultra 1500 tormenta, et innumera omnis generis belli requisita. Expeditio in Indiam orientalem, de qua dudum rumor serpebat, effective parari, hunc in finem agmen Marschalli *Davoust* propediem per ditiones russicas ad Astracan iter ingredietur, cui se adjunget numerosum agmen Russorum, ac tandem etiam Persarum; quodsi verum sit, refelluntur omnes illi rumores, quos de novis dissensionibus et diplomaticis agitationibus politicarum Novitatum otiosi fabricatores cudent, et vulgare cuperent.

Junius.

Ausonius personificat mensem Junium, et dicit: *Junius* est nudus, monstrans digito horologium solare, indicare volens, solem de tropico cancri descendere. Gestat manu facem, in signum, fructus calore maturescere, a tergo visitur falx et corbs cerasis, aliisque fructibus plenus. Aliqui nomen ejus ab Dea Junone derivant. Alii Majum a *Majoribus*; Junium ab *Junioribus* derivant. — Fateamur potius; Nos parum, aut nihil scire.